

GAMELIA

Festivis Nuptiarum honoribus
Nobilissimi, Amplissimi, & Doctissimi,

DOMINI

JOHANNIS à Baumgarten/

Secretarii Reipubl. Thorunensis
 celeberrimi,

Et

Virginitatis ac pudicitiae dotibus clarissima

VIRGINIS

ANNÆ JUSTINÆ
 KNIPPELIÆ,

die 21. Septembr. Anno 1694.

feliciter peractis,

applaudit

GREGORIUS PROXIUS,

Thor. Bor.



THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.



Elix ille, Dei qui captat jussa per aures,
Et promptus roseo quod jubet ore
probat.
Felix ille, Dei qui paret legibus, omnem
Ac vitam turpi crimine purus agit.
Felix ! ô felix, quem non vitiosa libido
Allicit, & vexat flagitiosa Venus.
Nam Deus, ut mens est pia, castaq; labis & expers,
Et gravat immensis impia corda malis:
Sic favet & casto castis ex sanguine natis,
Adjicit ex animo, quod petiere suo.
O fortunatos ! ô terq; quaterq; beatos !
Qui vivunt vitiis & sine labe dies,
Qui cupiente Deo, cœlorum præside fiunt
Et duce supremo consociante, pares.
Illi felices, inquam, ter & amplius illi,
Quos Deus in cœlo copulat ipse duos !
Exemplo, Neonymphe, tuo res ipsa patescit,
Sponseq; Pierii pars veneranda chori.

Imprimenda Johanne Baptistae Bresler.

Dic

Dic
For
D
En,
E
Ac t
E
Hæc
U
Hæc
V
Hæc
Et
Te so
Te
Haud
Vin
Ambo
Mo
Nec m
Qua
Gratus
Et c
Gratior
Que

Dic quoties flexo pede verba precantia dixi?

Dic? quoties sacros fundis ab ore sonos.

Formosam ut sociam virtutis & artis amantem

Duceret in thalamum, Sponse, Jehovah, Tuum.

En, Deus admisit captans pia vota per auras,

Et pondus fusas jussit habere preces.

Ac thalami sociam fausto Tibi fœdere jungit,

Et comitem vitæ nectit amore Tibi.

Hæc ipsa est pietas, est ipsa modestia, quæ vix

Ulla datur Phyliris repperiunda solo.

Hæcce puellarum decus est, in cujus ocellis

Virtutis radios emicuisse vides.

Hæc Tibi ceu Conjux parebit recta monenti:

Et tua quæ fieri jussa jubebis, ager.

Te solum cupiet; Te nuptum diliger unum,

Te cupiet solum, Te finet esse caput.

Haud scio num meliore queant duo pectora nexu

Vinciri, Sponso quàm nova nupta Tuo.

Ambo florentes, ætatibus ambo venusti,

Moribus & stirpis conditione pares.

Nec melius pulchris stant lilia mixta rosetis,

Quàm tali talis juncta Virago Viro.

Gratus odor Libani, Casiæ, thurisq; Sabæi,

Et quæ præterea Pharmacopæus habet:

Gratior ac multo castæ fragrantia tædæ,

Quem nova nupta Viro consociata tenet.

O par

Dic

O par Conjugium paribus quod nititur ulnis!
 O fors vix ullis æquiparanda bonis!
 Sponsæ tuâ dignus Sponsâ, Tu Sponsaq; Sponso
 Digna, pares animis & pietate pares.
 Vivite concordēs, vestro pax aurea lecto
 Assideat, palmis undiq; cincta suis.
 Vivite Nestoreos ô Sponsæ & Sponsa per annos,
 Quos hodie sacro fœdere junxit Hymen.

